

D 70 mag P

angef. 3

AD
ORATIONES
MVNIFICENTIAE
EVERGETAE SVMMI
JOHANNIS RVDOLFI
A GERSDORFF

SACRAS
DIE XXVI. SEPTEBRIS
BENIGNE AVDIENDAS
OMNES GYMNASII NOSTRI GENEROSSIMOS,
PRAENOBILISSIMOS, SVMME REVERENDOS
FAVTORES MV SARVMQVE AMICOS

INVITAT
GEORGIUS GODOFREDVS PETRI,
CANTOR,



GORLICII,
EX OFFICINA FICKELSCHERERIANA.

ORATIO

IN

REVERENDISSIMO

JOHANNES RUDOLPHUS

DE

WITTE

DE

WITTE

DE

DE

DE

DE

DE

DE



Neminem fugere autumo, varias hominum de multis rebus esse opiniones, variaque judicia; atque tantopere in diversa rapi plerumque homines, ut quæ aliis sint in summa laude, aliis maximum moveant

fastidium.

Recte ergo se habet sententia illius poetæ, qui velle suum, inquit, cuique est, nec voto vivitur uno.

Innumeros in totum genus humanum jurisprudentia diffundit fructus, qua adjutrice Jureconsultus respondendo, agendo, cavendo judicandoque unicuique suum vindicat, ita ut recte Ulpianus lib. 1. §. 1. ff. de just. & jure ejusmodi virum sacerdotem justitiæ, & Cicero de Orat. lib. 1. 45. civitatis oraculum, pacis decus & ornamentum vocaverit.

Enimvero quis est, qui nesciat, quot fœda vulgus evomat convicia in omnes, qui Themidos se devoverint sacris? sunt, qui tanto deteriorem quemque putent christianum, quanto sit juris peritior.

Insigne jam ab antiquissimis temporibus philosophiæ statutum est pretium; maximi viri, Cæsares, principes in ea figebant operam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem. Non enim ignorabant, felicem esse rempublicam, in qua aut philosophi imperant, aut imperantes philosophantur. Nec hodiernum desunt boni viri, qui quantivis pretii æstimant philosophiam. Attamen non

) 2

paucis

paucis hoc seculo in tantum sordet, ut cunctam, quæ in ea excolenda collocatur, industriam non dicam inanem, sed viam Atheismo sternentem judicent.

Eratosthenes poeticen, divinam istam artem tanto despiciatui habuisse fertur, ut Homerum poetarum, qui quondam vixere, & olim victuri sunt, facile principem, ineptæ loquacitatis magistrum adpellare non dubitaret.

Notus est Corn. Agrippa a Nettlesheim, vir varius quidem in omni genere vitæ, sed versatissimus in qualibet doctrina. Hic tamen scripsit librum istum famosum: de incertitudine & vanitate omnium scientiarum.

Forfitan non injucundum, nec alienum abs re fuerit, meminisse epitaphii, quod illi post mortem erectum est, lectu digni.

Inter divos nullos non carpit Momus,
 Inter heroas monstra quæque infectatur Hercules,
 Inter dæmones rex erebi Pluto omnibus irascitur umbris,
 Inter philosophos ridet omnia Democritus,
 Contra deflet cuncta Heraclitus,
 Nescit quæque Pyrrhon,
 Scire se putat omnia Aristoteles,
 Contemnit cuncta Diogenes.
 Nullis parcit Agrippa;
 Contemnit, scit, nescit, deflet, ridet,
 Irascitur, infectatur, carpit omnia,
 Ipse philosophus, dæmon, heros, Deus & omnia.

Plura tam proterve sentientium exempla proferre erubesco. Constat inter omnes, nullam unquam civitatem absque litterarum floruisse cultura; nec Græcos nec Romanos, principes omnium nationum tantopere inclaruisse, nisi præter bello strenuos multi surrexissent viri, qui per ingenuas animum excoluissent artes.

Attamen tantum abest, ut merito ubique in honore sint Pieridum cultores, iique qui juventutem his erudiunt artibus, quæ ad humanitatem pertinent, ut certatim multi alto eos adspernentur supercilio, atque in eam prolabantur opinionem, leve ac nugatorium illorum esse munus.

Lon-

Longum foret, omnes numero complecti artes & eruditionis partes, quæ laudantur ab his, culpantur ab illis.

Ego quidem illum tantum vere eruditum ausim dicere, qui in certa quadam doctrina quam maxime versatus, ita ut nihil supra, in cæteris autem non sit rudis. Etenim omnes artes & scientiæ habent quoddam commune vinculum & quasi cognatione inter continentur.

Hinc quemadmodum neminem facile eruditum dixerim, qui non multum philosophiæ vacaverit ita, ut quid rectæ conveniat rationi repugnetve, libero ab opinionibus falsis animo possit investigare: sic & jure affirmare mihi posse videor, non parum deesse erudito, quisquis ad minimum non hauserit prima jurisprudentiæ lineamenta, sive se consecraverit Theologiæ, sive arti machaoniæ.

De illis sermo nobis non erit, quibus est animus jurisprudentiæ se penitus devovere. His exactissima cognitione omnium juris partium nihil prius, nihil antiquius sit necesse est. Sin minus, aut evadent leguleji aut rabulæ, quorum uterque nomine jurisconsulti indignus est. Siquidem legulejus memoria tantum tenet leges, sed vim earum & potestatem nec intelligit, nec respicit, L. 17. ff. de legibus & Cicero de orat. L. I. c. 55. & sic ratione legis neglecta, quæ est anima legis præpostere agens omnia se ipsum ibit perditum non dubitaturus multa agere in fraudem legis L. 29. ff. eodem.

Rabula autem is est, qui nulla accuratiore juris notitia imbutus cruda in forum propellit studia, evertendisque aliorum opibus questum facere studet. Utrique pestes sunt reipublicæ.

Sed veniamus ad theologiæ cultores. His aliquam juris notionem necessariam esse, saltim juris canonici facile animum ad credendum adduco. Parochus sæpe est in sua parœcia is, a quo diœcesani in dubiis consilium petunt casibus, qui ex jure interpretandi sunt. Icti non semper sunt ad manus, & periculum aliquando est in mora. Interim talis suasor sciat necesse est, quousque procedere possit, ne imprudentia labatur.

Risum enim concitaturus esset, si juri contraria suaderet, si discedens a recta juris via in alia omnia iret; quin sibi ipsi perinde ac consulentibus detrimentum allaturus esset, reprehensionem incurreret, & malum hocce consilium consultori pessimum esse posset.

In senatu ecclesiastico, qui vulgo vocatur consistorium, ubique theologi adsciscuntur adfessores, quorum est cognoscere de sponsalibus legitimis vel clandestinis, de causis matrimonialibus, de dispensationibus, de bonis ecclesiasticis, de jure patronatus, & multis aliis. Si itaque talis adfessor plane hospes est in jurisprudentia, prorsus muta erit persona, ne si suffragium ferat præposterum, derisui sit & ludibrio habeatur.

Attingamus etiam paucis filios Æsculapii, sæpissime hi concurrunt cum Jureconsultis in dijudicandis vulneribus, sintne lethalia per se, an per accidens? inprimis si inspicienda sunt cadavera occisorum. Quæ inspectio a iudice, scabinis, medicis & chirurgis adeo necessaria est, ut ea neglecta nihil certi de reo statui possit deficientibus indiciis, ex quibus dijudicari possit, an occisus a vulnere sit mortuus, nec ne. Quam materiam prolixè tractavit Carpz. pract. crim. P. I. qu. 26. n. 30.

In hæreditatibus adipiscendis, præcipue in feudis quam maxime interest agnatorum, non ignorare, an posthumus natus legitimus sit hæres. Quod ad partum septimestrem attinet, consentiunt jureconsulti & medici, septimum mensem pro legitimo haberi propter auctoritatem summi Hypocratis.

Ast de partu decimestri, undecimestri & duodecimestri res in dubium vocatur, & adhibendum est consilium prudentissimorum medicorum, a quibus causæ retardationis naturæ & a parte matris & a parte recens nati eruendæ sunt, ita ut medici probe perpensis cunctis circumstantiis consulere jureconsultis, & hi deinde sententiam legi divinæ & humanæ consentaneam ferre possint, vid. Teichmeyer Med. for. p. 62. seqq.

Nec male actum erit de scholarum magistris si quasdam attigerint juris notiones. Alias enim in explanatione Antiquitatum rom. nec non in quibusdam Ciceronis orationibus exponendis plurima juvenibus clariora non poterunt reddi. Præterea in tradenda lingua Latii multa occurrunt vocabula, quæ optime a jureconsultis distinguuntur. E. g. sunt, qui Commodatum & Mutuum unum idemque esse putant. Sed magnum jurisperiti faciunt discrimen. Nimirum mutuum consistit in rebus fungibilibus, quæ numero, mensura & pondere constant. Est itaque in mutuo vera alienatio, nec creditor obligat debitorem ad idem, sed ad tantundem restituendum.
Hinc

Hinc Paulus L. 2. §. 1. ff. de reb. cred. mutuum, inquit, damus recepturi non eandem speciem, quam dedimus, sed idem genus. Contra ea commodatum consistit in rebus non fungibilibus, & res comodata restituenda est in specie.

Magna quoque differentia intercedit inter libertus & libertinus. Lexica quædam nobis persuadere volunt, quod libertus significet einen Freygelassenen, libertinus einen Freygebohrnen. Sed toto aberrant coelo. Libertus enim dicitur talis homo ratione patroni qui eum, quum antea fuerit servus, libertate donavit. Sic Tyro erat libertus Ciceronis, Pausanias Lentuli, Phædrus Augusti. Contra ea vocabulo: libertinus utuntur romani, quando pure loquuntur de statu hominis cujusdam, sitne servus an ingenuus, & respondetur: est libertinus, i. e. fuerat servus, sed libertas illi donata est.

Idem dicendum est de adoptione & arrogatione; nimirum adoptio vocatur, si filius familias, qui adhuc in patria fuit potestate, arrogatio, si homo sui juris in locum filii adiscitur.

Capitis deminutio etiam ex jure rom. deducenda est, quæ non denotat eine Verminderung des Haupts, sed status, des Standes. Nam caput Romanis vocabatur triplex ille status, libertatis, civitatis, familiæ. Hinc capitis deminutio maxima est, si quis amittit libertatem adeoque simul jura civitatis & familiæ, uti Att. Regulus, cum venisset in captivitatem Carthaginensium; media autem, si quis perdit jura civitatis, uti Cicero, cum ageretur in exilium; minimam denique deminutionem capitis patiebantur arrogati, quia ex patribus familias fiebant filii familias.

Quæ cum ita sint arbitror, ni omnia me fallunt, bene se habere scholas, in quibus ad minimum iis, qui jurisprudentiæ penitus se consecrare cum animo statutum habent, antequam se conferant in academiam, prima juris rudimenta tradantur, ut sciant, quantum & quam grave suscipiant munus, & quo ordine omnia audienda & ediscenda sint, ne perverse agentes cancro leporem capere cupiant. Qui mos in multis introductus est Gymnasiis.

Hinc & ego ipse quondam ab Antistitibus pædagogii regii, quod Halæ magdeb. floret, electus fui lector institutionum juris civilis secundum elementa Heineccii, ut juvenes post semestre spatium in academiam abituri prægustare possent, quæ postea sedulo
pertra-

pertractanda forent. Quamdiu deinde Gubenæ Cantoris & Con-
rectoris provincia functus sum, itidem multis, qui juri studere in
animum induxerant, prælibandas juris partes tradidi monstrans viam,
qua Themidos cultoribus incedendum esset.

Sed hæc hæctenus. Dicendum tandem, quod res est, & cujus
caussa hæc paucula scripsi.

Memoria nimirum munificentæ ILLUSTRIS PROSA-
PIAE GERSDORFFIANAE recolenda est, quæ pie celebra-
bitur a me oratione vernacula: de gloria post mortem, & dein-
de a duobus optimæ spei juvenibus, quorum tamen prior **Johann
Gottfried Sternberg**, gravi impeditus morbo, officio suo satis-
facere non poterit; posterior **Johann Abraham Crudelius**,
perorabit de fontibus miseriarum humanarum in ipsis homini-
bus quærendis.

Quam solemnitatem, ut Patroni omnesque musarum Fau-
tores honorifica sua cohonestare velint præsentia, est quod enixe
etiam atque etiam rogamus. Dabam Gorlicii, die 25.
Septembris Anno 1781.



7.A. 1868

